



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Cap. II. Primum reprobationis signum, Peccandi facilitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272

Immunitas à peccato prædestinationis signum potissimum. *Augustinus.* Primum prædestinationis signum ponitur hic immunitas à peccato operis & cordis. Quamobrem in eum locum Augustinus, *Quis illuc ascendet & permanebit ibi, nisi innocens in operibus & mundus in cogitatione?*

Pro. 28. Bernard. Hoc est primum prædestinationis indicium, timor peccandi retrahens à peccato. Quod enim veraciter timetur, effugitur. Per fugam autem à peccato sive retinetur, sive recuperatur gratia: & sic gloria & beatitudo, cujus semen est gratia. Ideo dicitur *Pro. 28. Beatus homo, qui semper est pavidus.* Quem locum expendens Bernardus *ser. 54. in Cant. Beatus, inquit, homo, qui semper est pavidus, sive cum amiserit gratiam, sive cum habuerit, sive cum denuò recuperaverit, & infra. Beatus es, si cor tuum triplici isto timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longè plus pro recuperata. Nihil negligit, qui sic timet.*

Ephrem.

Claudem caput hoc de divino timore prædestinationis auspice verbis S. Ephrem Syri *serm. de timore Dei*, quæ mirificè rem illustrent. *Timor, inquit, Domini munitio anima. Timor Domini mentem dirigit. Timor Domini cordis tutela. Timor Domini gubernator est anima. Timor Domini malitiam tabefacit, passiones imminuit, dilectionem auget. Timor Domini anima schola est & bonam ei spem annuntiat (nempe prædestinationis & salutis) Timor Domini animum spiritus sancti & intelligentia replebit: ipsique sceptrum cælestis regni tradet. Nihil ad omen prædestinationis illustrius.*

C A P U T II.

Primum reprobationis signum peccandi facilitas.

XII. Peccandi facilitas primum reprobationis signum. *Aristot.*

Peccatum est deviatio à fine ultimo.

Iob. 15.

E Dictis apparet, quid de reprobatione dicendum sit. Dico secundo. Primum præscitorum signum est facilitas peccandi. Probatur, quia ita se habet ad terminum reprobationis peccandi facilitas, sicut se habet ad terminum prædestinationis peccati timor. Quippe *Oppositorum eadem est disciplina.* 1. Topic. c. 8. Et ratio est, quia terminus reprobationis est exclusio ab ultimo fine supernaturali: & sic opponitur termino prædestinationis, qui est Deus clarè visus. Peccatū autem non est aliud nisi deviatio ab ultimo fine. Vnde sequitur ut sit deviatio à termino prædestinationis, & sic directio ad terminum illi oppositum, ad quem per reprobationem tenditur. Ergo peccatum ut via est signum talis termini: & sic reprobationis in hunc terminum desinentis. Confirmatur è Scripturis. Habetur enim de reprobis *Iob. 15. Qui bibunt quasi aquam iniquitatem,*

id est sine ullo Dei timore, ea facilitate sorbent peccata, qua inter sitis ardores biberent aquæ calicem. Ideo Gregorius lib. 12. moral. c. 19. qui, inquit, *illicita sine timore facit, quasi potum iniustitia sine obstaculo glutit.*

Gregor.

Facilitas autem hæc consistit in tribus. Primò in iteratione, & multiplicatione peccati, incidendo frequenter in eadem peccata, & alia aliis addentes: quod est maximum reprobationis indicium. Ideo dicitur Psalm. 68. *appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam, & statim subdit. Deleantur de libro viventium,* id est, ut ibi Lyranus, *per finalem reprobationem, & aeternam damnationem.* Hæc iteratio & multiplicatio peccatorum exprimitur primò ab Osea c. 4. similitudine inundationis. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt: & sanguis sanguinem tetigit.* Comparat multiplicationem peccatorum inundationi fluminis. Sicut enim amnis in suo fonte, unde originem ducit, exiguus, paulatim hinc, inde influentibus montanis aquis accrescens, mox ingentem evadit in fluvium: nec ripis coercitus, inundatione facta, in vicinos campos erumpit, non sine vastitate arborum, ac ruina: ita prima peccata, quæ in se solis spectata videbantur exigua, sensim aliorum, atque aliorum scelerum additamento, quasi novis aquis adaueta, in tantum excrescunt cumulum, ut instar magni fluminis in reproborum ruinam inundent. Ideo dicitur, *maledictum, mendacium, &c. inundaverunt.* Quamobrem Augustinus in Psalm. 93. *noli, inquit, contemnere minuta peccata tua quotidiana: minutatim ponis, sed cumulum invenies. De minutissimis guttis implentur flumina.* Sicut igitur inundatio fluminum signum jam est imminentis ruinæ: ita multiplicatio peccatorum signum est vicinæ damnationis. Ad maiorem autem incutiendum timorem, hæc inundatio non aquarum dicitur esse, sed sanguinum, ideo subditur, *& sanguis sanguinem tetigit,* quem locum expendens Gregorius lib. 13. moral. c. 16. *Solet, inquit, sanguinis nomine significari peccatum, unde is, qui à peccatis liberari desiderat per pœnitentiam, clamat, libera me de sanguinibus. Sanguis ergo sanguinem tangit, cum culpa culpam cumulataverit.*

Peccatorum multiplicatio maximè reprobationis argumentum.

Psalm. 37.
Lyranus.

Osea 4.

XII.

Peccatorum inundatio ex parvo fonte.

August.

Peccata levia non contemnenda.

Gregorius.

Sanguinis nomine significatur peccatum.
Psalm. 50.

Rom. 2.

Peccatorum multitudo thesaurus iræ Dei.

Peccatorum massa abscondita thesaurus infelix.

Hæc eadem peccatorum multitudo exprimitur secundò ab Apostolo similitudine thesauri ad Rom. 2. *thesaurizas tibi iram in die ira.* Duo requiruntur, ut aliquid dicatur thesaurus. Primum est, ut sit argenti vel auri non quæcunque massa, sed ingens. Alterum est, ut hæc non sit omnibus manifesta, sed abscondita. Iure ergo dicitur reprobos *thesaurizare sibi iram in die ira.* Quippe in iis non esse solet unum peccatum lethale, vel alterum: sed ingens peccatorum massa: eaque in latibulo cordis abscondita, nec confessione detecta. Ideo autem dicuntur *thesaurizare sibi iram in die ira:* quia infelix iste

thesaurus detegendus est in die iræ, nempe in die iudicij tum universalis, tum particularis uniuscuiusque: quo ira Dei revelatur super omnem impietatem. ad Roman. 1. Quamobrem Augustinus in Psal. 93. inquit, *thesaurus in ira invenietur: & quod ponis quotidie per modicum, postea inventurus es massam.*

Rom. 1.
August.

XIV.
Peccatum
gratuitum
proprium
est reprobo-
rum.

Iuramento-
rum abusus
reprobatio-
nis signum.
Blasphemos
nihil aliud
delectat
præter pec-
care.

Blasphemia
reprobatio-
nis signum
maximum.
Peccata co-
gitationum
gratuita.

Psal. 72.

Peccata alia
ex adipe,
alia ex ma-
cie.

August.

Iob. 34.
Peccare de
industria
pessimum.
Gregorius.

XV.

Peccandi
tria genera.

Alterum, quod importat peccandi facilitas, est peccatum quasi gratuitum, & ex occasione levi. Sicut enim prædestinationis signum est raro peccare, idque non nisi ex gravi occasione: ita reprobationis est signum frequenter peccare, & ex levi, immo interdum nulla occasione. Tale signum reprobationis habent, qui, ut ita dicam, tertio quoque verbo jurant: idque sine ulla aut necessitate, aut utilitate: sed ex prava quadam consuetudine, ex qua exponunt se periculo perjurandi. Tales etiam sunt, & pejores, qui blasphemant: cum nullum ex eo emolumentum accipiant, præter peccare. De iis dicitur Psal. 72. *Posuerunt in Cælum os suum.* De quibus infra subditur, *quomodo facti sunt in desolationem?* Hoc autem inter signa reprobationis censeo maximum, ex hoc etiam capite, quia hi ut jam reprobi, incipiunt assuescere idiomatici damnatorum: & illam infelicissimam cantilenam adhibere, quæ per tot dissonas blasphemantium voces, semper auditur apud inferos. Tales etiam sunt qui, quando opere non peccant, peccant consensu in opus, & desiderio planè inutiles: quo quoties exardescunt, toties momentaneo actu mercantur sibi æternitatem flammæ. Hoc peccandi genus ex occasione levissima explicatur primò Psal. 72. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.* Sunt enim aliqui, quorum peccata prodeunt ex macie necessitatis, aut tentationis: sunt alii, quorum peccata prodeunt ex adipe, nempe ex mala voluntate: quæ aut nulla, aut levi occasione oblata delectatur, & quasi pinguescit peccando. Apud hos peccata *transiunt in affectum cordis.* Et hi sunt planè reprobi, de quibus inferius dicitur, *perierunt propter iniquitatem suam.* Est expositio Augustini enarratione in eum Psalmum, ubi sunt, inquit, *mali, sed macie mali: ideo mali, quia exiguitate quadam necessitatis affecti. Pauper furtum facit ex macie. Dives abundans diripit res alienas: huius iniquitas processit ex adipe.* Explicatur idem secundo Iob. 34. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo, id est quasi captantes occasionem peccandi, & recedendi à Deo.* Ideo Gregorius in hunc locum. *Peccatum, inquit, tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur, & gravius quidem infirmitate, quam ignorantia: sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur.* Augustinus etiam loquens de hoc peccato ultroneo lib. de vera & falsa pœnit. cap. 14. *Sunt, inquit, qui peccato ultro se offerunt, nec expectant tentationem, sed praveniunt voluntatem: & pertrahunt secum quàm multiplici*

actione vitij delectabiliter peccent. Quod innuitur Psalm. 57. dum Psal. 57.
dicitur *injustitias manus vestrae concinnant*. Quippe aliqui ita pec-
cando delectantur, ut in eo veluti concinnando studiosè impendant
operam, *pertractantes*, ut dicebam ex Augustino, *quàm multiplici*
actione vitij delectabiliter peccent.

Explicant idem tertio Ioan. 15. *Odio habuerunt me gratis*. Nam Ioan. 15.
cum quodlibet peccatum mortale sit odium Dei, saltem interpreta-
tivum; illi *Deum odio habent gratis*, qui aut ex nulla, aut ex levi
occasione Deum offendunt peccantes merè gratuito. Isti Iuda peiores
scapè Christum vendunt minori pretio, quàm triginta argenteis, si-
mul etiam vendentes animas suas, ut dicitur 1. Machab. 1. *Vendunt*
ut faciant malum. De iis in hoc sensu dicitur Isai. 52. *Gratis venun-*
dati estis, id est, ut explicat Augustinus q. 57. in l. Iudic. *Venditi estis*
sine pretio; & donati, quia scilicet multi peccant gratis, nullo pre-
tio recepto donantes animas suas diabolo. Peccatores
gratis se
diabolo nõ
tam ven-
dunt quàm
donant.
1. Mac. 1.
Isai. 52.
August.

Tertium, quod comitatur facilitatem peccandi, est enormitas in
peccando, quod innuitur Osee 9. *Profunde peccaverunt*. Aliqui enim
peccant veluti attingentes culpam forinsecus, & in cortice; alij in-
trinsecus, & profunde. Quod tripliciter exponi potest. Primo ut
iuxta phrasem Hebraicam, ut notat Ribera in hunc locum, idem sit
profunde, ac vehementer, sunt enim qui in peccando languide se
agunt, & remisse; alij qui ardent, & vehementer, quod majus est
reprobationis indicium. Ideo de iis, qui profunde peccant, subdi-
tur, *Recordabitur peccata eorum, visitabit iniquitates eorum*. Secun-
do exponi potest de iis, qui peccant cum magna advertentia ma-
li; qui non in superficie, sed in profundo penetrant malitiam pec-
cati. Et hoc est, quod supra diximus cum Gregorio, *gravius est pec-*
care studio, quam infirmitate. Tertio exponi potest de iis, qui pec-
cant cum circumstantiis valde aggravantibus, & ideo quasi deprimè-
tibus ad profundum, & hic sensus videtur conformior litteræ. Sub-
dit enim, *sicut in diebus Gabaa*, quando scilicet, ut exponit Hierony-
mus, uxor Levitæ incredibili libidine vexata est, qua scemina *tota*
nocte abusi sunt. Iud. 19. illa dolente, & renuente. Atque hæc fuit
una circumstantia aggravans ex parte objecti: ex parte verò loci, &
personæ fuit alia circumstantia aggravans, quod hoc peccatum com-
missum fuit in urbe Gabaa, à viris de tribu Benjamin, quæ erat una
è tribubus populi Israëliti, à Deo inter alias omnes nationes ele-
cti, & dilecti. Et ideo hi dicuntur profundè peccasse, cum magno re-
probationis indicio, cum subdat, *Recordabitur peccata eorum*:
quandoquidem de prædestinatorum peccatis dicitur, *Iniquitatum*
eius non recordabor. Ezech. 18. Hoc profundè peccare maximè veri-
ficari videtur in peccatis gravibus Ecclesiasticorum, qui sunt po-
pulus Dei electus. Ideo dicitur 1. Petri 4. *Tempus est ut iudicium in-*
Osee 9.
Iudic. 19.
Ezech. 18.
1. Petri. 4.

Basilium. *incipiat à domo Dei.* Quippe, ut notat Basilium apud Oecumenicum in hunc locum, *Natura comparatum est, ut contra eos, qui familiarissimi nobis sunt, cum in nos peccant, gravius indignemur. Familiarissimi autem Deo sunt qui domum Dei, idest Ecclesiam complent, & construunt.* Hi sunt ex iis, qui profunde peccant, ex circumstantia personæ: & de his specialiter dicitur ab Osea, *Recordabitur peccata eorum:* maximo utique reprobationis indicio. De his etiam intelligi potest quod dicitur Isaia 26. *In terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Quamobrem Bernardus in declamat. *In terra Sanctorum, inquit, idest in clero existens, tanquam in Cælo, iniqua gessit: ideo inventa est iniquitas eius ad odium, nec remittetur.* Specialius etiam id militat in peccatis gravibus Religiosorum, qui inter regulatæ claustra in terra Sanctorum iniqua gerunt. De his absolute pronuntiatur ab Isaia, *non videbunt gloriam Domini:* eò quod in his culpa notabiliter crescat ratione status. Sicut enim inter præconia Iobi adnotatur quod fuerit *vir simplex, & rectus in terra Hus,* nempe in medio infidelium & malorum: ita in maximum probum Religiosis vertitur, quod inter tot bonorum exempla, *in terra Sanctorum iniqua gerant:* in ea nempe terra, quæ tot Beatos Sanctosque protulit. Idcirco Gregorius lib. 2. moral. *Dicitur, inquit, de Iob ubi habitaverit, ut hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Sicut enim gravioris culpa est inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconij inter malos bonum etiam extitisse.* Arguendo igitur à contrario, immensæ est malitiæ malum esse inter bonos; ideoque hoc ut reprobationis signum perspicuum pronuntiatur ab Isaia. *In terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Hæc de enormitate in peccando.

Securitas in peccando reprobatorum propria.
Prov. 2.

Isaia 53.

Psal. 9.

Quartum, quod comitatur facilitatem peccati, est securitas in peccando. Nam, sicut plerique prædestinati non solum raro peccant, & occasionatè; sed etiam quando incidunt in peccatum angore quodam, & conscientia stimulis agitantur, quos timor Dei subdit, ut citius resurgant: ita plerique reprobi cum quadam animi securitate peccant, oblatrantis conscientia vocibus aut vix auditis, aut contemptis. Hi sunt, *qui latantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Proverb. 2. Ita enim sibi complacent de peccatis præteritis, ut de iis interdum etiam gloriantur, de quibus tanquam Deo execrandis dicitur Isaia 53. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Quod apertum est reprobationis signum, ideo subditur, *va anima eorum.* Hi ita se gerunt, ac si existiment à Deo peccata aut ignorari, aut non curari. *Dixit enim in corde suo (reprobus) oblitus est Deus: avertit faciem, ne videat in finem.* Psalm. 9. Et infra. *Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo non requires.* Denique ita se gerunt, ac si Deum cæcum existiment & amentem

amentem: ita ut Deo visum, & intelligentiam adimant. Ideo dicitur Psalm. 93. *Et dixerunt non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat? qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam?* In quem locum Augustinus. *Vox, inquit, est iniquorum, quod nec attendit ista Deus, nec advertit ut sciat quemadmodum vivas, non curat Deus: Infelix homo, curavit ut esses, non curat, ut bene vivas:* Hæc reprobi.

Contra verò prædestinati dum peccant, Dei oculum omnia insipientem excogitant, & reformidant. Idcirco David inter nocturnos cum Bersabea concubitus. Psalm. 138. *Dixi, inquit, forsitan tenebra conculcabunt me* (abscondent me. Id enim, quod pede calcatur, absconditur) *& nox illuminatio mea in deliciis meis; quia tenebra non obscurabuntur à te: sicut tenebra eius, ita & lumen eius, idest respectu divini intuitus perinde sunt tenebræ, ac lumen: & ideo nox illuminatio mea in deliciis meis, quia nox ipsa, tanquam in meridiana luce, Deo detegit meas illicitas voluptates. Ideo Lyranus in hunc locum, nox ipsa illuminata est coram Deo, ut videantur ab ipso delicia carnales, qua committuntur in tenebris.* Quamobrem idem David loquens de seipso, dum esset in statu peccati, eruit, inquit, *animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus*, quia stimuli conscientia tanquam leunculi cor ejus discerpebant, ipsumque somnum turbabant. Quod advertens Chrysostomus hom. 20. in Gen. *Peccanti, inquit, neque somnus suavis, sed terrore, & formidine plenus.* Quod maximè verificatur in prædestinatis, ideo David, *dormivi conturbatus.* Hic timor, hæc esse solent cogitationes, & stimuli prædestinati peccantis, & timentis. At reprobi, dum peccant, cum quadam animi securitate peccant, utpotè qui tacitè, & interpretativè dicunt, *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.* Psalm. 93.

Hoc profectò argumentum est ferè certum reprobationis. Peccatum enim commune esse potest prædestinato & reprobo: cum hoc tamen discrimine, quod peccatum in corde prædestinati gravitat, Quippe invenitur in eo tanquam in loco alieno: sicut terra, quæ extra proprium centrum gravitat. Ideo in corde Davidis gravitabant peccata, cum dixit Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravata sunt super me,* nempe gravitabant, quia erant in corde prædestinati, tanquam in loco alieno: unde erant paulò post decessura. Contra verò in corde reprobi peccata non gravitant, quia ibi sunt tanquam in proprio centro. Cum cor reprobi centrum sit peccati: quod in eo insidabit, & quiescet per totam æternitatem. Ideo Bernardus lib. 1. de consideratione expendens peccati jam inveterati progressus. *Primò, inquit, tibi videbitur aliquid im-portabile* (nimirum cum primò peccatur, & sentitur onus peccati)

Peccatores Deo visù & intelligentiam adimunt.

Psalm. 93.

Prædestinati, dū peccant, stimulis acerbis cruciantur. Psalm. 138. Dei oculo ipsa nox est meridies.

Lyranus. Peccata nocturna.

Psalm. 93.

Peccatum in corde prædestinati gravitat: in corde reprobi non gravitat. Psalm. 37.

Bernardus.

- XVI. *processu temporis non indicabis adeo grave, paulò post & leve senties: paulò post nec senties.* Quia scilicet ponderis gravitas, dum est in proprio centro, non sentitur: peccati autem centrum cor reprobis.
- Insensibilitas in peccato reprobationis, signum pestilimum. *Hæc insensibilitas in peccato maximum est, quod haberi potest, reprobationis signum. Ideo dicitur Prov. 8. Impius, cum in profundum venerit, contemnit quia, ut notat Gregorius lib. 9. moral. cap. 20. quò longius nos conditor deserit, eò mens nostra insensibilius obdurefcit: ac miserando modo fit quotidie quantò peior, tantò securior.* Idem lib. 5. moral. cap. 28. in illud Iob. 4. *Consumuntur velut à tinea, dicit hoc esse proprium reproborum, consumi sensim sine sensu; velut lignum, quod putrescit à tinea. Tinea, inquit, damnum facit, & sonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Quasi ergo à tinea consumuntur, quia sine sonitu culpa morsum tolerant: dum quanta detrimenta vita, & innocentia patiantur, ignorat.* De talibus, qui cum hac pestifera securitate peccant, absolutè pronuntiavit Chrysostomus hom. 2. in Psal. 50. hos salvari ferè non posse. *Quanti, inquit, sunt peccatores, & securi degunt? Quanti rapiunt, & nolunt intelligere, quia inique agunt? Quanti devastant viduas, & pupillarum facultates diripiunt? Quanti aliena marimonia circumveniunt? Quanti tribulant orphanos, & agnoscere nolunt superventuram sibi calamitatem? Insuper fiducialiter, qua mala sunt, agunt: nec ingemiscunt, nec lachrymam proferunt, nec consententur? Quomodo ergo possunt hi tales salvari.* Idem hom. 7. in Matth. *Non, inquit, peccatores ita averfatur Deus, quàm eos, qui post peccatum securi sunt, incurabiles prorsus, ac ferrei.* Aptissimè id explicatur exemplo eorum, qui morbo laborant, quem cancrenam appellant medici. Ab iis enim in ea corporis parte affecta, etiam cum secatur, adest omnis sensus doloris: quod medici lethale pronuntiant. sicut contra, cum dolent, bonum, ac recuperandæ valetudinis signum. Idem planè accidit in prædestinatis, & reprobis. Illis enim in vulnere peccati sensus doloris aliquod est prædestinationis signum. In his vero stupor quidam, & insensibilitas conscientie, signum est pœnè deploratæ salutis. Egregiè id insinuavit Ambrosius lib. de Apol. Davidis cap. 9. in ea verba, *peccatum meum contra me est semper: ubi, bona, inquit, mentis est, vulnus sentire peccati. Nam, qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbiter: quod est immedicabilis agritudinis. Qui autem alieno dolore punguntur, sicut doloris sensu non carent: ita non carent sanitatis profectu.* In prædestinatis igitur terror, ac dolor signum salutis: in aliis verò insensibilitas in peccato est, ex Ambrosio, immedicabilis agritudinis. Ideo, sicut in iis est securus dolor: ita in his est dolenda securitas. Quod idem animadvertens Salvianus Massil. ad Eccl. cath. lib. 4. *Pœnalis, inquit, est homini, ac perniciofa securitas, præsumpta spes sarcine sunt*
- Peccatores consumuntur velut à tinea.
- Chrysoft.
- Insensibilitas in peccato assimilatur morbo cancrenæ.
- Ambros.
- Securitas peccatorum pestifera.
- Salvian.

Secundum præd. signum post peccatum &c. 19
reatus, damnationem parit usurpata absolutio, & infra. Nemini itaque
facilis sua causa sit: nullus difficilius evadit, quàm qui se evasurum esse
presumpserit.

C A P U T III.

*Secundum prædestinationis signum, post peccatum
pœnitentia celeritas.*

Quoniam electi etiam peccant, & interdum aliqui ex iis gravi-
ter peccant, sicut primum prædestinationis signum captavimus à timore peccati: ita secundum à pœnitentia post peccatum.

Dico tertio. Secundum prædestinationis signum, est post pecca-
tum pœnitentiæ celeritas.

Probatur à priori ex primo signo, quia prædestinationis signum
est timor peccati, ut patet ex dictis c. 1. Ergo, sicut hic custodit inno-
centiam ante peccatum: ita etiam incitat ad pœnitentiam post pec-
catum. Ergo pœnitentia velox post peccatum est signum prædesti-
nationis, quia est signum timoris Dei eò efficacius incitantis, quo
velocius.

Confirmatur primò ex psal. 118. iis verbis. *Erravi sicut ovis qua
perivi.* Ovis autem symbolum est prædestinati, juxta illud Matth. 25.
Oves à dextris. Error igitur prædestinati assimilandus est errori
ovis. Hoc autem discrimen est inter errorem ovis, & errorem lupi,
quod ovis, si quando à reliquo grege dessectens, vagatur errabunda
per sylvas, statim ut audit canum latratus, aut pastoris vocem, eò ce-
lerrimè advolat: neque antea sistit iter, quàm in pastoris collum im-
posita reducatur ad gregem. Lupus verò pastoris audita voce, pergit
errare per devia: immò quò propiùs audit canum latratus, eò se
longiùs proripit. Oves symbola sunt prædestinatorum. Christus
pastor est, qui de se pronunciat Io. 11. *Ego sum pastor bonus, & cognos-
co oves meas:* canes autem concionatores. Nam, ut notat Gregorius
hóm. 4. in Evang. *nonnunquam solent in sacro eloquio per canes præ-
dicatores intelligi,* quia, ut idem addit lib. 20. moral. cap. 29. *dum pro
domino suo diurnis, nocturnisque vigiliis intenti clamant, quosdam, ut
ita dixerim, latratus predicationis edunt.* Porro erat non ut ovis,
sed ut lupus, qui auditis internis Dei, quasi pastoris vocibus, & ex-
ternis concionatorum clamoribus, quasi canum latratibus; pergit
adhuc errare per devia; immò longiùs aufugit: quia lupus, non
ovis est.

Contra vero prædestinatus peccans, dicere potest cum Davide:

C ij

Prædestina-
tionis si-
gnum, post
peccatum
pœnitentiæ
celeritas.

Psalm. 118.
Matth. 25.
Errat præ-
destinatus
ut ovis, re-
probus ut
lupus.

Ioan. 11.
Conciona-
tores figu-
rati per can-
es.
Gregorius.